



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Formula ea confecta fuit iis verbis quibus Leonis dignitas tentari videratur. Eam ob rem repudiata fuit à Legatis & aliquot Orientalibus. Dissidium illud ortum ob transmissa aliquot Leonis verba ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Leonis ad Flavianum. Post lectionem, confestim omnes Episcopi clamaverunt hanc esse Apostolorum & patrum fidem, se omnes ira credere, Petrum per Leonem locutum, Dioscorumque Ephesi hanc epistolam suppressisse ne legeretur. Attamen de sensu trium locorum ejus epistolæ dubitantibus Episcopis Illyricianis & Palæstinis, interpretatio adhibita ab Aëtio Archidiacono Constantinopolitano & à Theodoro, quæ Leonis cum Cyrillo convenire docebat, commotam dubietatem ab eorum animis statim eximere non potuit, licet reliqua synodus profiteretur nihil dubij superesse. Quare Iudices interlocuti sunt ut intra dies quinque qui dubitabant Episcopi penes Anatolium Constantinopolitanum convenirent, ut à ceteris qui jam Leonis epistolæ subscripserant docerentur. Actione quarta, interrogantibus Iudicibus quænam esset synodi de fide sententia, respondit Paschasius synodum eam fidem amplecti quæ à Concilio Nicæno, Constantinopolitano, & Ephesino exposita est, quàmque Leo sua epistola declaravit. Iterum Iudices interlocuti sunt, à singulis Episcopis declarandum an hæc epistola consentiret cum Symbolis Nicæno & Constantinopolitano. Ac statim quidem professus est Anatolius Constantinopolitanus eam consonare cum expositione fidei à tribus Conciliis prioribus edita, atque adeo ante synodum se illi subscripsisse. Sed Paschasius agrè videtur hanc interlocutionem tulisse. Retulit enim manifestum esse, nec dubitari posse, quin epistola Leonis cum superioribus Symbolis concordaret. Quod omnes Episcopi suffragiis quoque suis testati sunt, seque illi epistolæ subscriptiones suas apposuisse. Illyriciani verò & Palæstini, qui dubitationem Actione secunda injecerant, professi sunt ambiguitatem omnem, quæ ex linguæ Latinæ vocibus proficisci videbatur, sibi à Legatis ademptam, ideòque se quoque epistolæ subscripsisse. Vnde rectè Quinta Synodus ex ista Actione collegit, quæcunque apud synodos proferuntur, ab iis non simpliciter sed cum inquisitione approbari, nempe si congruant cum expositione & doctrina patrum. Ceterum occasione monachorum qui factionem Eutyichis tuebantur, Iudices interlocuti sunt à synodo formulam fidei dandam, quæ credenda exponeret.

III. Formula verò iis verbis concepta est quæ Leonis auctoritati aliquo pacto adversari videbantur, & ambiguitate quadam officere veritati. Ea itaque relecta Actione quinta, etsi ab omnibus Episcopis summo applausu excepta fuerit, Romani Legati & aliquot Orientales repudiarunt. Hi etenim

Tom. II.

cum animadvertissent aliquot verba epistolæ Leonis à formulæ concinnatoribus dissimulata fuisse, in has voces eruperunt: *Si non consentiunt epistola apostolici & beatissimi viri Papæ Leonis, jubere nobis rescripta dari ut reverentiamur, & ibi synodus celebretur.* Discordiam istam componere Iudices tentarunt, postulantes à synodo ut aliquot Episcopi à singulis Dicecesibus unâ cum Legatis & Anatolio coram magistratibus istis in oratorio de fide tractarent. Sed reclamaverunt Episcopi, nihil addendum definitioni pertinacissime contententes; professi quidem se Leonis epistolam suscipere, nolle tamen inferere formulæ quæcunque epistola illa continebantur. Contentio accensa erat ob verba epistolæ; quibus Leo aiebat salvam utriusque naturæ proprietatem in unam coivisse personam, scilicet *ἀοψυχας, ἀρετῆστας, & ἀδιυπέτας.* Negotio ad Imperatorem relato, præcepit ille ut Episcopi selecti hac de re disceptarent secundum interlocutionem Iudicum, aut quisque per suum Metropolitanam fidem sine ulla ambiguitate exponeret, vel synodum scirent in Occidentalibus partibus celebrandam. Necdum sopita erat concertatio, cum Iudices Episcopos interrogarunt an Dioscorum sequerentur, an verò Leonem. His verò respondentibus se Leoni adherere, Iudices dixerunt addendum ergo definitioni duas esse naturas inconfusè, inconvertibiliter, & inseparabiliter secundum judicium Leonis. Statim verò collatione facta cum delectis Episcopis, formula fidei omnium votis ita concepta est, ut disertè Leonis epistola recepta sit tanquam Petri confessioni congruens, & omnia dubia juxta præscriptum illius epistolæ explicata sunt. Quæ iterum confirmata sunt Actione sexta, præsentè Marciano Principe: qui patribus interrogatis an ex omnium sententia fidei definitio edita esset, synodi consensum suo quoque edicto confirmavit, poenis in contumaces decretis.

IV. Non frustra, ut existimo, in narratione hujus disceptationis moram traximus. Etenim duo præcipua colliguntur. Vnum est, omnes Episcopos epistolæ Leonis subscripsisse, quod ejus auctoritatem demonstrat, cum decretis subscribatur, & non Episcoporum suffragiis. Alterum est, nefas tandem synodo visum, si vel uno verbo ab ea epistola discederetur. Etenim cum superioribus Actionibus præjudicatum fuisset omnium patrum suffragiis epistolam Leonis congruere cum traditione majorum, auctoritas Romanæ sedis id exigebat ut formula fidei edita à Concilio & Leonis definitionem disertis verbis amplecteretur & ex ejus præscripto ambiguitates tolleret; nempe ut

D ij